



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

123. An Inquisitores, seu Fiscus teneantur satisfacere creditoribus
Hæreticorum? Et an Fiscus teneatur solvere ultra vires bonorum
publicatorum, si non confecerit inventarium? Et an in foro ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitorum, Ref. CXXIII & c. 46

diff. 169. cap. 1. n. 13. Simanca in cathol. instit. tit. 9. num. 74. & alij.

Verum mihi contraria sententia magis placet, quam præter Sanchez in *summa* tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 22. tenet novissimè Antonius Sanctarellus de heresi cap. 19. dub. 3. n. 14. & Augustinus Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 14. n. 3. cum alijs. & patet ex d. cap. decrevit. ubi tantum agitur de bonis dotatilibus & pene non sunt extendendæ, & si voluisset Pontifex, ut ob contractum matrimonium scienter cum hæretico uxor amitteret omnia bona sua, id expressisset, & non restrinxisset ad dotem, faciendo solum de ea mentionem. Ex his ego infero quod vir Catholicus contrahens scienter matrimonium cum femina hæretica, non amittit sua bona, quia in d. decrevit. solum fit mentio de feminis. Unde non est extendendum ad viros, qui dotem non afferunt, pene enim, ut diximus, non sunt ampliandæ, & ideo ego probabiliter puto contra Henriquez lib. 12. cap. 14. n. 4. & alios feminas rapientes viros, non incurrere in penas in quas incur-
^{Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. lege doct. ref. 79. & omni ref. & §. ejus annotatio- num.} runt viri rapientes feminas, quia in *l. unic. C. de raptu virginum*, fit solum mentio de viro rapiente feminam, & ita tenet Salicetus n. 7. Decianus in *tr. crim.* l. 8. c. 7. n. 27. Clarus lib. 5. §. raptus. n. 6. Menochius de arbitrarij lib. 2. centur. 3. cas. 291. & alij. Item contra dictum Henriquez lib. 12. cap. 2. n. 1. Sotum in 4. diff. 37. q. un. art. 1. Navarrum in *manual.* cap. 22. n. 74. & D. Antoninum part. 3. tit. 1. cap. 16. §. 4. ego puto etiam probabiliter feminas occidentes viros suos non incurrere eas penas, quas incurunt viri occidentes uxores suas, quia in cap. interfectores 37. q. 2. fit tantum mentio de viris occidentibus uxores, & ita docet. Tolet. lib. 7. c. 15. n. 3. Sylvest. *ver. matrimonium* 7. q. 6. disto 1. Armil. *ver. matrimonium* n. 58. Ledesma part. 2. q. 6. art. 2. & alij. Cum igitur in d. decrevit, de heret. in 6. agitur tantum de feminis scienter cum hæreticis matrimonium contrahentibus, pene ibi lata non videntur extendendæ ad viros cum feminis hereticis nubentibus, & ita hanc sententiam tenet Sanchez, Sanctarellus & Barbosa loc. cit. quibus circa præsentem quæstionem adde Zecchi in *sum. tom. 1. tit. de fidei* s. 1. n. 16. Pegnam in *direct. Inquis.* part. 3. comment. 160. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 7. Suar. de fidei diff. 2. sect. 5. & alios penes ipsos.

RESOL. CXXIII.

An Inquisitores, seu Fiscus teneantur satisfacere creditoribus hæreticorum?

Et an fiscus teneatur solvere ultra vires bonorum publicatorum, si non confecerit inventarium?

Et an in foro conscientie, si fiscus non solvat debita ab hæreticis contracta, ipsi non teneantur ea solvere, quamvis ad pinguiorem fortunam postea devenerint? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 59.

§. 1. **R**espondeo breviter, si debita contracta fuerint ab hæretico ante delictum hæresis teneatur fiscus, seu Inquisitores solvere, & ita docet Torrelblanca de magia lib. 3. c. 11. n. 45. Simanca in cathol. instit. tit. 9. n. 35. Lælius Zecchius in *sum. tom. 1. tit. de fidei* s. 1. n. 16. & alij, ut patet ex l. non possunt 2. ff. de iure fisci, & quando debita hæreticorum non omnia publicantur, sed solum aliqua pars, tunc pro rata illius partis erit facienda satisfactio, ut colligitur ex l. final. C. de debitor. civit. Si verò dicta debita sint in dubio, an fuerint contracta ante, vel post commissum delictum, ad fiscum pertinebit probare, & non ad creditores, ea fuisse contracta post delictum. Non tamen tenetur fiscus solvere ultra vires bonorum publicatorum, si non confecerit inventarium. Ita Iul. Clarus lib. 5. q. 78. n. 30. Cevallos in *com. opin.* 3. q. 82. n. 13. & alij. Vide etiam Tom. V.

circa præsentem quæstionem Fachinæum lib. 6. controvers. cap. 21.

2. Notandum est hic obiter quod etiam in foro conscientie si fiscus non solvit debita ab hæreticis contracta, ipsi non tenentur ea solvere, quamvis ad pinguiorem fortunam postea devenerint, quia tota obligatio fuit translata in fiscum, & ita docet Valq. in 12. diff. 169. cap. 2. n. 20. Simanca ubi supra. Cassanæus in consuetudin. Burgund. rubri c. 2. §. 1. n. 33. Surdus de alimentis tit. 8. privi. 59. n. 10. & alij.

RESOL. CXXIV.

An Inquisitores, si post annum contumaces appareant, debeant illos audire etiam quoad bona confiscata?

Et quot vicibus citari debeat absens & contumax in crimine hæresis antequam condemnentur?

Et notatur, quod citatio faciendæ contra contumacem absentem in crimine hæresis continere debet causam. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 42.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Sigismundus Scaccia *sup. contro. de judic.* lib. 2. cap. 98. n. 34. & Farinacius de in hoc & seq. heresi q. 85. n. 109. ubi restatur Romæ in Tribunali Generali & S. Inquisitionis servati quod quandocumque contumaces spontè compareant, semper audiuntur & quoad personam, & quoad bona.

2. Verum contrariam sententiam tenet Simanca in cathol. instit. tit. 2. n. 21. ubi sic ait. Is qui intra annum præsentiam sui fecerit, audiri quoque debet, ut ne bona sua publicentur; post annum verò et si auditor, nihilominus bona ejus confiscantur, excepto si de innocentia illius planè constiterit. Ita ille. Et hanc sententiam tenet Pegna in *direct. Inquis.* part. 3. comment. 49. Io. Rojas singul. 145. n. 5. Paramus de orig. Inquis. lib. 3. q. 4. n. 47. & Sanch. in *sum. tom. 1. lib. 2. c. 20. n. 27.* ubi probat quod quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, ita elapso anno transeunt in rem judicatam, ut comparens postea non sit audiendus circa illa, nec ea recuperet, nisi, ut dictum est comparens innocentiam suam planè ostenderit.

3. Notandum est hic obiter quod citatio faciendæ contra contumacem absentem in crimine hæresis, continere debet causam, ut scilicet compareat ex causa fidei, & ita tenet Angelus *ver. hæreticus* n. 1. Decianus in *tratt. crim.* lib. 5. cap. 32. n. 8. & alij. Verum sufficere in tali casu ut reus citetur ad comparandum coram Inquisitoribus volentibus ab eo quædam scire, tradunt Simanca in cathol. instit. tit. 43. num. 12. & Pegna in *direct. Inquis.* part. 3. comment. 33. Vide etiam Paramus de orig. Inquis. lib. 3. quasi. 4. num. 34. Si tamen Inquisitores post citationem sic generaliter factam intendunt contra reum non comparentem procedere ad condemnandum tanquam contumacem, tunc requiritur alia citatio, in qua expresse citetur ad comparandum & respondendum quid sentiat de fide; & ita tenet Sigismundus Scaccia de judic. lib. 1. cap. 43. num. 9.

4. Sed quot vicibus citari debeat absens & contumax in crimine hæresis antequam condemnentur, variant Doctores. Ego verò puto cum Ioanne Rojas singul. 29. n. 2. Simanca in cathol. instit. tit. 14. n. 6. & in enchirid. n. 3. & 4. & Paramo de orig. Inquis. lib. 3. q. 4. n. 65. tres requiri citationes, licet ad minus duas esse necessarias tradat Carretius de heret. n. 128. Vmberius Locatus in *praxi Inquis.* *ver. sententia* num. 25. & Decianus in *tratt. crim.* lib. 5. cap. 39. n. 9. ubi declarat, & num. 27. Sed ad alia procedamus.